

IGNAVIA FUGIENDA, ET FUGANDA.



Quævis ignavum totu ictu percutit Oestrum?
Hercules ipse potens, otia clava ferit.
Otia, blanditiæ, procul est; ignavia cedit;
Ut Clavum teneas, Rex, tibi Clava datur.

COMMENTARIUS.

1 Um de Regum, ac Principum cura in exquirendis, & extirpandis gravioribus criminibus dixerimus, non abs re erit, si eosdem illorum seminarium pari quoque studio indagare, & extirpare debere, commoneamus: Quando (ut bene docet (a) Cassiodorus) & hoc pietatis genus est, coercere infantiam criminis, ne juvenescat augmentis. Et juxta aliud Libanii (b) monitum, jam supra ad aliud adductum, Optimi quique Magistratus arbitrentur, accuratam etiam in parvis diligentiam majorum esse conservationem. Cui adsentiens Divus Hieronymus (c), æquè prudenter animadvertit: Non esse tamquam parva contemnenda ea, ex quibus magna proveniunt, prodesseque ad cautionem etiam minima pro maximis cavere. Tantò enim facilius abstinemus à quocumque delicto, quantò illud magis metuimus: nec citò ad majora progreditur, qui etiam parva formidat.

2 Hoc porrò vitiorum seminarium, hancque graviorum criminum infantiam, non injustè, aut ineptè in civium otio, & ignavia constituimus, eorumdemque remedium in illa fuganda, & compescenda, reperiri proponimus, cum hoc ipsa hominum natura satis ostendat, qui cum in vitia proclives simus, citius quis in otio degens, magnorum vitiorum hauserit copiam, quàm paululum immensæ virtutis; nihilque sit, quod nos frequentius, divinæ, & humanæ literæ doceant.

3 Unde præter ea, quæ de Regum desidia supra (d) retulimus, de quibusvis otiosis in Ecclesiastico (e) legimus: Multum malitiæ docuit otiositas, quod cum illo Menandri convenit: Quam multa Mortalibus otium facit mala.

Et Ezechiel (f), eidem otio Sodomæ iniquitates, & abominaciones attribuit, & Hesiodus (g) à Plutarcho (h) laudatus, nihil quicquam flagitiorum esse dixit, quod non ab ignavia, tamquam ex fonte, originem habeat.

4 Magnus quoque Cato apud Columellam (i) Homines (inquit) nihil agendo, malè agere discunt. Et D. Bernardus (k): Otium cogitationum & tentationum malarum esse incentivum. Ovidius (l), idem ip-

(a) Cassiod. lib. 5. epist. 39.

(b) Liban. declam. 39. de quo & aliis vid. sup. Embl. 30.

(c) D. Hier. in ep. ad Celant. Damasc. lib. 2. de imagin.

(d) Sup. Embl. 18.

(e) Eccles. 33. 29.

(f) Ezech. 16.

(g) Hesiod. lib. 2. op. & dies.

(h) Plutarch. in vita in Cæton. in fin.

(i) Colum. de re rust. lib. 11.

(k) D. Bernard. de vita Christian.

(l) Ovid. lib. 1. de remed. amor.

ipsum adulteria, stupra, & Cupidinis faces accendere, his, vulgatis quidem, sed memoria dignis carminibus, prodit,

Queritur, Ægisthus quare sit factus adulter?

In promptu causa est, desidiosus erat.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,

Contempteque jacent, & sine luce faces.

Et Seneca (m) Tragicus istis:

Vis magna mentis, blandus atque animi calor

Amor est, inventa gignitur luxu, otio

Nutritur, inter leta fortunæ bona.

Quem si fovere, atque alere desistas, cadit.

Brebique vires perdit extinctas suas.

5 Quæ premens Achilles Bochius (n), tetrum Cupidinem pingit, in otiosum sua tela contorquentem, & post alia sic finit,

Urentes parium semper lenta otia amores;

Unde est mors vivoens irrequita quies.

6 Divinus etiam Plato (o), habitum quidem corporis desidia, & otio dissolvi docet, exercitationibus autem ali, & augeri: & similiter animi, institutione, & meditatione vegetari, quæ si tollas, hebescit, & vel id quod ante didicerat, obliviscitur. Quod & Plinius (p) probat, inquietus, oportere inquietum hominis animum opere pasci, non minùs quàm corpus cibo & potione sustentari.

7 Estque adeò vera hæc doctrina, ut vel jam in Adagium transierit, Otia dant vitia, ubi Erasmus (q) in ejus comprobationem, & otii detestationem, ultra alios (r), qui in eodem argumento versantur, plura congescit. Et in idem tendit illud Verini (s).

Pariturque labore

Virtutis robur, corrumpunt otia corpus.

Et Divi Nazianzeni (t):

Otia luxuriant, quod agas tu semper habeto,

Ut tibi mens erret irrequita minùs.

Et his Antiquioris Sallustii (n), qui florentem Reip. Romanæ statum, cui ad Occasum ab Ortu Solis omnia domita armis patebant, otii, atque divitiarum affluentia, quæ prima mortales putant, labi coepisse, deplorat.

8 Ac proinde Scipio Africanus apud Plutarchum (x) dicere solebat, dandum potius esse negotium Populo Romano, quàm otium faciendum: Hæc enim puto (inquiens) otii abundantia, illorum animis iniecit omnia vitia, maximèque perfidiam, qua notantur à Demosthene in Olynthiaca. Idem etiam Plutarchus (y) recenset, quòd Magnus Alexander dicebat, maximè servile esse, delicatam, mollem, & otiosam degere vitam. Contra verò maximè Regium laborare. Adversus pravam Thracum consuetudinem, qui summæ ducebant laudi otiosum esse; sed summo dedecori cultorem esse terræ. Rectissimè quidem omnes, nihil enim æquè animus, aut corpus obtundit, quàm torpida quædam remissio, ut Cassiodorus (z), ultra plures alios, his verbis edocuit: Natura siquidem humana, sicui duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur.

9 Eaque de causa, multi illam, post Ovidium (a), agro similem faciunt: nam sicut hic, si aratro non sulcatur, spinas, & lolia producit, ita mens humana, quæ non exertur, vitiorum spiritus edit:

Fertilis assiduo si non renovetur aratro,

Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

10 Alii, idem, exemplo ab ipso cælo sumpto, demonstrant, quod si aspicias, in continuo motu est, ideòque nulli mutationi obnoxium: quemadmodum, & exercitatione corpus roboratur, nimia quies noxia viscera obstruit; venas putrido sanguine implet, & quadam veluti torpitudine lædit, plu-

(m) Senec. in Octav.

(n) Boch. symb. 7. pag. 19.

(o) Plat. in Theurb.

(p) Plin. in pref. nat. histor.

(q) Erasm. pag. 550.

(r) Petr. Gregor. de Republ. lib. 23. cap. 7. Rhodigin.

lib. 11. cap. 1. & 3. Camer. cent. 1. cap. 15. Delrius, Ma-

jolis, Bobad. & alii apud Me 2. tom. lib. 1. cap. 4. ex n. 131.

(s) Verin. in dist. lib. 1.

(t) Nazianz. 3. sent.

(u) Sallust. lib. 1. hist.

(x) Plutarch. in ejus vita.

(y) Idem in vita Alex.

(z) Cassiod. lib. 1. epist. 39. in fin.

(a) Ovid. 5. Trist. eleg. 12.

pluraque alia damna producit, quæ elegantissimo carmine Baptista Mantuanus (b) latè recenset, seg-
nitiam inter Megeræ socias nutritam inquiens. Cujus carmina hic non gravanter insererem, nisi
jam suprâ eorundem tenorem transcripsissem.

11 Idem Ovidius (c), qua solet facilitate, aliud simile ex aquarum natura desumit, sic inquiens:

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium ni morceantur aque?*

Quod aded verum est, ut Mare Mortuum, quia nullis agitatur undis, noxiis vaporibus continuo
aerem inficiat; sicut & qui otio, veluti sepultus est, vitiorum fœtidos eructat vapores, qui ipsam
animam, ex Augusto detruduat solio, & cæno suo contaminant.

12 Quam similitudinem plurimum illud Senecæ (d) juvat, qui tradit, ipsos quoque pisces stag-
natis aquis innatos, & innutritos, ob ignaviam, noxium hominibus cibum præbere, exemplum
in anguillis, & in aliis adducens, qui latebrosis, & cænosis, sive lutosiis locis aluntur.

Et hinc omnes, qui rerum naturalium causas perscrutantur, eas omnino aquas, quæ in con-
tinuo sunt motu, salubriores, linapidiore, & clariores esse concludunt. Unde & Sylvester Petra
Sancta (e) commemorat, quod Guido Ferrarius Cardinalis, puteum continuis tubulis adhauriendam
ex eo aquam, agitatum (quem Nos, *Nortiam* dicimus) pro symbolo sumpsit, cum lemmate, *Motu
clarior*, parem ipse de se claritatem pollicitus, si amici haurirent crebro illius liberalitatem. Quod
longè aptius, ad rem de qua agimus, accommodari potuit, ut & Ego aliquando sub hoc carmine
feci, Principes commonens, ne Militares, vel Togatos viros in otio marcescere patiantur, quos,
alioqui bonos, ipso exercitio meliores efficient;

*Namquam multi jugi putei corrumpitur unda,
Quam velit assidue vertere cura frequens.
Turba Ministrorum variis exercita curis,
Sic incorruptis, munia reddet, aquis.*

Et sensit etiam in nostris terminis Joannes Barclayus (f), sic inquiens: *Salubriores fieri aquas pu-
tant, ubi ex puteis assidue hauris, quæ, si cessas, aliquo veterno emoriuntur. Haud disparis fati
vires, & animi vulgi sunt, ipsa laboris assiduitate crudescunt, & ignaviam odere, otio corrup-
puntur.*

14 Quod Seneca (g) tunc majori studio urgendum injungendumque suadet, cum minus de his,
quibus imperatur, confidimus, sic inquiens: *Quoties parum fiducia est in iis, quibus imperas, am-
plius est exigendum, quam satis est, ut præstetur quantum satis est.* Et hæc omnia elegantissi-
mis verbis complexus videtur Latinus Pacatus (h), dum Magni Theodosii bellicos, & togatos labo-
res, ac sudores extollens, prædictis exemplis ad eorundem continuationem sic adhortatur: *Gaudet
profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat aternitas, & quicquid homines vocamus
laborem, illius natura est. Ut indefessa vertigo cælum rotat; ut maria æstibus inquieta sunt, &
stare Sol nescit, ita tu Imperator continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper
exercitus es, & ne contraberet corporis veternum stades, cujusmodi operæ insidiantem, otii tersisse
rubiginem, &c.*

15 Extat quoque apud Erasmum (i) eandem rem aliud aptissimum simile, de Ferro, quo si
non utaris, obducitur rubigine, usu autem splendet; ut & in animis, & corporibus hominum
accidit, in quibus languescit virtus ac vigor, nisi negotiis, ac laboribus exerceas, contra nites-
cit, si in his opportunè tractandis exercearis. Quod simile, etsi Erasmus nihil alleget, à Marco
Catone sumptum videtur, qui, ut Agellius (k) literis prodit, dicere solitus erat: *Vitam huma-
nam propè uti ferrum esse, Ferrum si exerceas, conteritur: si non exerceas, tamen rubigo inter-
ficit. Item homines exercendo videmus conteri. Si nihil exerceas, inertia, atque torpedo, plus de-
trimenti facit, quam exercitatio.*

16 Quod idem prorsus est, atque illud Ovidii (l),

*Otia corpus alunt, animus quoque parçitur illis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.*

Et Baptistæ Mantuani (m).

Calcar erit segni, pigros rubigine sensus

Otia

(b) Mantuan. lib. 1. de calam. suor. temp. vide carmina
sup. Embl. 18. ad fin.
(c) Ovid. 1. de Ponto.
(d) Senec. lib. 3. natur. quest. cap. 19.
(e) Petra Sanct. in symbol. lib. 6. pag. 267.
(f) Barclay. in Argen. lib. 4. pag. mibi 818.

(g) Senec. lib. 6. de benef.
(h) Pacat. in Paneg. ad Theod. fol. 4.
(i) Erasm. in siml. fol. 3.
(k) Agell. lib. 11. cap. 2. in fin.
(l) Ovid. 1. de Ponto, 5. & 1.
(m) Mant. Parib. lib. 1.

*Otia corrodunt, sopitaque pectora torpor
Noxius obliquat; ferrum si transit in usus
Assiduo splendore micat, vultuque nitenti,
Audet ad argenti decus aspirare superbion,
At si longa quies ierit, fuscatur, & atram
Vertitur in scabiem, celerique absuntur ævo.*

Et Moderni Epigrammatarum Angli (n), dum inquit:

*Ingenium studio, si non acuatur, habescit,
Ut telum, assiduum cos nisi præstet opem.
Ingenium studiis alitur, territur quoque, sicut
Tela terrendo acuit eos, acuendo terit.*

17 Joan. Stobæus (o), ex Socratis doctrina, eandem ipsam, de qua agimus, nobili Emble-
mate, Amaltheæ cornu depicto, ostendere nititur, quatenus ipsius Amaltheæ nomen illum signifi-
cat, qui minimè *Malthon*, id est, dissolutus, sed gnavus, & operarius esset; huncque bona
omnia consequuturum. Per cornu verò bovis, quod animal est laboriosissimum, virum operarium
innui. Botros autem, & similia in cornu esse, quoniam omnia quorum egemus, in agricul-
tura seu labore insunt; quamobrem gestantes ipsum, bonus genius, bonaque fortuna introdu-
cuntur.

18 Altiatus (p) etiam, in otiosos, aliud excussit Emblema, ex illo Pythagoræ præcepto
desumptum, quo super chanicem, id est mensuram diarii victus, non esse insidendum, dice-
bat, his subjectis carminibus, quæ ab eodem (q) in Parergis, latius exponuntur,

*Quisquis iners, abeat, nam in chænice figere sedem,
Nos prohibent Samii dogmata sancta senis.
Surge igitur, duroque manus assuesce labori.
Det tibi dimensos crastina ut hora cibos.*

19 Et aliud Labæus Batillius (r), ad illud Salomonis (s) alludens, quo pigros, & ignavos ad
formicas amandat, ut vel earum exemplo à veteroso inertique sopore desistant; cujus carmina
hæc sunt;

*Tu, qui desidiam colis, atque ut in otia natus,
Ignavis votis tempora cuncta trahis.
Aspice, formicæ letis quando agmina campis
Sub tectum assidue grana reperta vehunt.
Scilicet haud ignaræ hyemis tristisque senectæ,
Subtectum assidue grana reperta vehunt.*

20 Similia quoque alia apud Boissardum (t), & Oræum (u), & Jacobum Catsium (x) repe-
riuntur, quæ tanti mihi non sunt, ut hic inserendæ videantur, Florentius autem Schoonhovi-
us (y) aliquanto melius, idem argumentum premit, Dianam venationi intentam depingens, quam
frustra Cupido à tergo sequens, suis telis impetere tentat, & sub lemmate, *Labor Amoris domitor*,
hoc sic explicat, & applicat:

*Omnia parçe puer, Veneris justissima proles,
Telorum duro cum premis Imperio.
Sola Diana tamen, vestri vim despicit arcus,
Dum sequitur fortes, fortior illa feras;
Otia si tollas, perit vesana libido,
Quam labor assiduus, duraque vita domat.*

21 Præstare quoque poterunt alterius Emblematis vicem, Monotapensis Regis insignia, qui,
ut in *Thesaur* (z) rerum indicarum habetur, exiguum ligonem cum manubrio eburneo, & binis
sagittis gestabat. Ligone subditos ad terram collendam adhortans; Alteraque sagitarum designans,
habere se potestatem otiosos, rebelles, ac nefarios comprimendi; Altera, arma sibi ad inimico-
rum impetum repimendum, ac propulsandum suppetere.

22 Nos verò, præter omnes, & ut arbitror, non ineptius, eandem otii propter graviam
dam-

(n) Oven. lib. 3. Epigr. 153.
(o) Stob. serm. 54. de Agricult. pag. mibi 369.
(p) Altiat. Embl. 81.
(q) Idem lib. 1. Parerg. cap. 17.
(r) Batillius Embl. 14.
(s) Proverb. 6. 6.

(t) Boissard. Embl. 25.
(u) Oræus Embl. 29. & seqq.
(x) Catsius Embl. 36.
(y) Schoonh. Embl. 35.
(z) Thesaur. rer. Ind. lib. 1. cap. 8.

damna, quae ubique parit, propulsationem, ea, qua Lector vides, pictura, Herculis, castrum clava toto impetu persequens, insinuamus. Antiquitatis vestigia sequuti, quae tantum virum, & quem, ut Petrus (a) canunt: *Duri celebrant labores*. In hoc tam vili animalculo exagitando, totis viribus, ac nervis contendere finxit, ut ostenderet, virtuti laboribus assuetam, atque comparatam, nihil odiosius esse, perniciosiusve judicari quam otium. Herculemque, quem *Alexicon*, id est, *Malorum depulsores*, vocarunt, in hoc ignaviae vitio abigendo, gnavam admodum fuisse. Quod per castrum significatur (b) vulgo *el Moscardon*.

*Asper, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta.*

23 Quod secundum Columellam (c), in extremis partibus favorum nascitur, amplioris magnitudinis, quam sint apes ceterae, easque non solum in melle conficiendo non juvat, sed potius fugat, & exigit, & otiosus, & iners favos, quos ipsae tanta arte, tanta sedulitate conficiunt, depopulatur. Ude per hoc infecti genus otium significatur, ut supra in alio (d) Emblemate tetigi, post Virgilium (e), dum ait:

Ignavum fucus pecus à praeseptibus arcent.

Cui congruunt illud Plauti (f), ubi homines segnes, & qui ad paratam ab aliis mensam, nihil ipsi adduceres, accedunt, muscas, his verbis vocavit:

*Musca est meus pater: nil potest clam illum haberi;
Nec sacrum, nec tam profanum quicquam est, quin ibi illuc adsit.*

24 Unde & *Miagus* Hercules dictus fuit, quasi muscarum ossor, vel depulsor. Et teste Solino, & alio (g) à Giraldo relatis, Romae in celebri illo fori Boarii templo, quod Virgilius *Aram Maximam* vocat, Herculi dicato, muscae numquam intrare audebant, quasi ab ejusdem clava perterrefactae, quae praesepti templi foribus dependebat. His plura alia facile addere possem, quae ex Graecorum fabulis de odio Herculis in muscas, & cicadas, Natalis Comes (h) adducit.

25 Et dignaviae per fucos designatione, Hesiodus, & alii ab Erasmo, & Adriano Junio (i) suis in Aegii relati, verbo *Fucus*, & ab Eruditiss. nostro Lud. Cerda (k) in illud Virgilii:

*Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis.*

26 Nuncatis, vel ex dictis colligitur, qualem quantamque curam, & operam, in otiosis puniendis, & ad laborem excitandis, ad Herculis imitationem, summos quoque Reipublicae Praefectos adhibere oporteat. Quibus etiam, praeter Herculem, exemplum praestare, faciemque praeferre poterunt Athenienses, apud quos Athaeo (l), Petro Gregorio (m), Heigio (n), & aliis (o) testantibus, sumus, otii, atque inertiae publicam accusationem fuisse; ejusque rei Cleanthem, & Menedem philosophos coram Areopagitis causam dixisse. Singulis quippe annis, cives, coram illorum se sistant iudicio, rationem reddituri, cui arti quis se dedisset, quo quaestu vitam tolleraret. Ita enim existimabatur sapientissimus populus; vitam in actione consistere, ignavumque pecus à civitatibus penatibus arceri debere.

27 Quae iam lex, secundum Philostratum (p), Indiae Brachmanis Philosophus, sive Gynnosophistis, insu erat, apud quos, impransus foras ad opus extrudebatur, qui nihil utilis operae, vel parentibus vel suis rebus necessariae, cur pranderet, adducere. Eandemque (referente q), Herodoto) prius Rex Aegyptiorum Amasis constituerat, sanciens, ut singuli, quotannis apud Naumarchos, id est, cujuscumque Praefecturae Praesides, profiterentur, unde viverent, qui autem hoc non faceret, huic poena extremum supplicium esset. Qua cum lege, illa Corinthiorum conveniebat, quam Athenaeus (r) ex Diphilo in Mercatore disertissimis carminibus refert, & digna quidem est, ut in omni bene constituta Republica praeficeretur, & genus hoc mortalium ex urbibus, velut purgamina jiciatur.

(a) Poetae apud Erasmo in *Adag. Herculi labores*, p. 330.
(b) Virgil. 3. *Georg.*
(c) Colum. *lib. cap. 14.*
(d) *Supr. Emb. 72.*
(e) Virg. 4. *Georg.*
(f) Plutarch. *Mercat.*
(g) Solin. *Plin. Alex. & alii apud Giraldo. syntagm. 1. in Hercule*, pag. 557. in fin.
(h) *Natal. lib. Mythol. cap. 1. pag. 694.*
(i) Erasmo. & Junius in *Adag. Fucus*, pag. 273. & 288. & 561.

(k) Cerda. in 4. *Georg.*
(l) Athen. *lib. 4. cap.*
(m) Petr. Gregor. *lib. 39. syntagm. cap. 6.*
(n) Petr. Heig. *lib. 2. quest. cap. 27. per tot.*
(o) Alex. Cassan. in *axiom. polit. pag. 73. ubi non minus de vita, & morib. civium, quam de Fide, inquiri oportere tradit.*
(p) Philostr. in *vita Apol. lib.*
(q) Herod. in *Euterp. in fin.*
(r) Athen. *lib. 6. cap. 2.*

Ad

28 Ad quorum aemulationem Solon, teste Laertio (s), & Julio Polluce (t), hominem otiosum, ter deprehensum; infamia notari voluit, cuiusvis, ipsum accusare volenti, obnoxium esse. Et Draco severius, si Plutarcho (u) credimus, morte multabat eos, qui absque utili aliquo officio, vel exercitio vitam traducerent. Et Lycurgus leges tulit, quibus juventutem ab otio ad laborem, ad venandum, currendum, natandum, esuriendum, sitiendum, algendum, instigare, quibus rebus Venus, & alia vitia (ut jam diximus) exulant, ac sedantur. Et Plato (x), adhuc magis in rem nostram, & eadem fucorum similitudine utens, ita in suis libris de Republica cavuit: *Otiosi fucus aculeatis similes sunt, & in quacumque fuerint civitate, eam turbant, quemadmodum pituita, ac bilis corpus: quos oportet bonum Medicum, & legum fundatorem non nimis, quam solertem agricultorem, è minus praecavere, primum quidem ne oriantur in civitate, quod si oriantur, ut cum ipsis foveis protinus excidantur.*

29 Parthi quoque, more recepto, observarunt, ne quis die exorto, ante liberis victum praerberet, quam cursus, jaculandique carmine suscepto, sudore circum capita defuso, permaduisset. Sicut, juxta Alexandrum ab Alexandro (y), apud Baleares insulas, matres, infantes pueros ab ipsis vitae incunabulis, his disciplinis educabant, ut nisi oblatum cibum funda peterent prius, cibo vesci prohiberentur. Et secundum D. Bernardum (z), Aegyptiorum monasteria hunc tenebant morem ut nullum absque opere, & labore susciperent, non tam propter victus necessitatem, quam propter animae salvationem: *Nam sicut in terra (inquit) inculta nascuntur vepres, & in aqua immota vermes; ita in anima otiosa male cogitationes proveniunt.* Atque ut his me expediam, & qui otiosos insector, otiosus non videar, in omnibus congerendis, quae contra eos ab aliis tradita sunt, nulla quidem fuit, vel est Natio, (si Thracas forte, ac Sybaritas excipias) quae peculiaribus legibus, & animadversionibus hoc ignaviae vitium, ut aliorum graviorum incentivum, non fuerit prosequuta, & extra ordinem coercuerit, ut latissime Philip. Camerarius (a) ostendit, & ante eum Petrus Crinitus (b), elegantissimum Pici Mirandulani orationem contra otiosos adducens. Qui, inquit, ubi desides ignavi, & oscitantes vitam transigunt, non hercle magis vivunt, quam stolidae pecudes, & merae belluae; neque enim vivunt, sed spiritum trahunt, sicut pecudes solent.

30 Quod & tendit Seneca (c) illud, *Otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura*. Et elegans in otiosos dictatum Caroli Paschalii, ubi inquit (d), quod *Otium generositatem deterrit, omne acumen hebetat, ingenium obscurat, memoriam debilitat, cujuslibet bonae rei peritiam abolet, omnia semina virtutis extinguit. Et quod blanditius est vitium, eo hominum vitae infestius exurgit, estque omni nequitiae stabulum omnium criminum pabulum, impurissimumque impudicorum hominum volut abrum.*

31 Quod ultimum, mirè convenit, cum Diphili carmine supra praefato, dum in otiosis necesse esse ait:

*Aut noctibus
Abigere praedam, aut fodere muros aedium,
Aut haec patrantur jungier commercio,
Aut in foro agere sycophantam, aut perfidum
Praebere testem, &c.*

32 Et cum illo Sallustii (e): *Gloriam, honorem, Imperium, bonus, & ignavus aequè sibi exoptant: sed ille vera via nititur, hoc est virtute tendit ad virtutes. Huic ignavo, quia bonae artes, & mores desunt, dolis atque fallaciis, id est simulatione, & fustitate contendit.*

33 Romani quoque, omnium gentium cordatissimi habiti, plures leges (f) in otiosos & ignavos tulerunt, etiam ubi sub religionis praetextu, se à publicis laboribus, & curialibus functionibus abstrahabant, & praesertim cum ostiatim, corpore sani, & validi, mendicabant. Quas Justinianus Imp. pluribus Novellis sanctionibus (g) renovans, & peculiare Quaeitores ad eos inquirendos, & puniendos constituens, ejusmodi otiosos, peregrinos, & vagos merito *Terrae onus* appellat, & cujuscumque conditionis sint, procul ab urbibus abigi, & aliis poenis coerceri praecipit, & velint nolint, ad laborandum, in ministeriis, & operibus Reipublicae utilibus, & necessariis, compelli: *In quibus valeant simul quidem laborare, simul autem ali, & segnem ita ad meliorem vitam traducere, quia mens inertis otio dedita, haud sanè quicquam honorum peperit.*

34 Eademque sanctiones, summo quidem studio constitutas, in patriis nostris Hispaniae legibus (h) reperimus, sed pro dolor; valde signiter observatas, cum nullibi terrarum plures otio-

Nnn

(s) Laert. in *vita Solon.*
(t) Polux in *Onom. lib. 8.*
(u) Plut. in *Solone.*
(x) Plat. *lib. 8. de Republ.*
(y) Alex. *lib. 2. Gen. cap. 25.*
(z) D. Bernard. in *epist. ad Rustic.*
(a) Camer. 1. *tom. cap. 15. & seqq. & 2. tom. cap. 32.*
(b) Petr. Crinit. *lib. 1. cap. 12.*
(c) Senec. *epist. 82.*
(d) Paschal. in *dict. contra otium.*
(e) Sallust. in *Castil.*
(f) L. quidam ignaviae 26. C. de Decurio l. 1. & per tot. C. de mendic. valid. ubi DD. alia jura adducunt.
(g) Justin. in *novel. 80. & novel. 113. ubi Balduin. Gothofr. & Rittershus.*
(h) L. 4. tit. 20. part. 2. l. 1. & 2. tit. 4. lib. 2. & tit. 14. lib. 8. Ordin. l. 11. tit. 18. lib. 1. l. 2. tit. 11. lib. 8.

si vagantes, & ignavi homines esse sinantur, quos vulgò *Araganes* vocare solemus, ex verbo (ut puto) Græco *Araga*, quod *inertiam*, vel *desidiam* significat; ut Cujacius, & alii (i) docuerunt, quamvis noster D. Sebastianus Covarruvias (k) aliàs etymologias comminiscatur.

34 Nullibique etiam spissiora mendicantium examina populos vexent, mentitis plerumque, ac simulatis ægritudinis causis, & aliis subdolis technis, & fraudibus utentium, quas, plures Auctores (l) latè recensent, plures simul cautiones adducentes, quibus ingens hoc malum, vel in totum, vel saltem pro majori parte mederi posset. Quæ licet aliquoties tentatæ sint, nunquam tamen ita plenè, ac constanter in praxi deductæ, ut antiqui hujus, & Reip. ossibus hærentis morbi, qualitas, ac gravitas exposcebat. De quo valdè queritur Alphonsus Venegas (m), qui centum fermè ab hinc annis scripsit, latè in hoc argumento discurrens, & pluribus monstrans, nullum esse pauperem ex iis, qui ad corrogandas elemosynas per urbes vagantur, qui aliquod ministerium pro suo modo, ac captu exercere non valeat, ex cuius mercede, sive stipendio, victum sibi necessarium singulis diebus comparare possit: Quod etiam pari prudentia, atque elegantia, Ludovicus Vives (n) prosequitur, ejusmodi vagantes pauperes, seu validos medicantes, facis nostri Emblematis similes esse inquit, qui alienis laboribus fruuntur.

25 Extatque apud Flavium Vopiscum (o) notabilis quedam epistola Hadriani Imperatoris, ad Servianum Consulem missa, in qua referens, qualiter Alexandrini Christiani per D. Petrum instituti, civilem vitam traducerent, inter alia tradit, & laudat, quod nemo apud eos viveret otiosus, etiam si cæci podagrici, vel aliàs laxati essent, cujus verba, cum aliis, Cornelii Taciti de Hortalo loquentis, quæ huc transferri possunt, supra in alio (p) commentario reposui. Quod nos æquè (ut dixi) in pauperibus sequi, & imitari, debemus, & pudere, quòd hoc etiam consilium, vel Peruanos Reges Incas, alioqui barbaros, non latuerit, ut latius Garcilassus Inca (q) in eorumdem historia, post Acostam, & Valeram recenset, & alia in eandem rem lectu digna congerens noster Politicus Pet. Ferd. Navarrete (r), qui de damnis ex hac pauperum, & vagantium hominum colluvione, & permissione, integrum, & satis doctum discursum scripsit, & Homericus (s) carminis meminit, quod hoc genus fucorum ita perstringit,

*Hic quia nequitiis assuevit, alire laborem
Non vult, & timida populi petit ostia voce,
Ut replere suam queat insatiabilis abvum.*

35 Nec minori sanè cura in abigenda, proculque à Repub. nostra amandanda illa aliorum hominum fece, & face procedere oportet, quos vulgò *Gitanos* dicimus, qui turmatim etiam & otiosi pererrant, & nullibi non nocent, cum nullibi conquiescant, nec alicui officio, vel ministerio, quod in publicum commodet, domi bellivè, suum animum, vel operas applicent. Hos exteri, *Cyngaros* etiam appellant, & varias de eorum origine, & peregrinandi causis, rationes comminiscuntur, falsas tamen & ridiculas omnes, cum, ut benè sentiunt *Goropius Beccanus* (t), *Martinus Delrius* (u), *D. Didacus à Corduba* (x) *D. Joannes Quignonius* (y), *Camerarius* (z), *Magerus* (a), *Besoldus* (b), *Surius* (c), *Petr. Gregorius* (d), *D. Sebastianus Covarruvias* (e), & alii, ipsaque experientia satis ostendit, nihil aliud sint, quàm manipulus furum, & colluvies pessima otiosorum, ac fraudulentorum hominum, ex variis nationibus non ita remotis, sed vicinis, imò & ex ipsis nostris; qui extra civitates, in agris, in triviis tentoria erigentes, prodicionibus, latrocinis, deceptionibus, & permutationibus, atque ex chyromantica, quam fingunt, divinatione, homines oblectant, & his, & aliis fraudibus, atque imposturis elemosynas corrogant, victumque sibi mendicant, quàm si plenius quis cognoscere cupiat lepidam satis Novellam Michaelis de Cervantes (f) legere poterit.

37 Ac planè, licet otium aliquando liceat, ut alacrius statim laborem repetamus, ut jam supra (g) plenè diserui istudque otium laudasse, & exoptasse videatur Horatius (h), dum cecinit,

Otium divos rogat in patenti, &c.

Assiduum tamen otium, ut ibidem benè observat, & distinguit *Cabottius*, nemo sanus Princeps subditis suis permittere debet, quod, ut *Catullus* (i) ad *Lesbiam* scribens, inquit. *Reges prius,*

(i) Cujac. & alii de verb. feud. lib. verb. Araga.
(k) Covarr. in Thesaur. ling. Castell. verb. Aragan, fol. 82.
(l) Alem. in suo Guzmanulo à Gasp. Ensl. in latium converso, Camer. 1. tom. cap. 16. Doct. Herrera in su Alvergue de los pobres, & alii.
(m) Veneg. in libro cui titulus. Diferencia de libros, pag.
(n) Vives lib. 2. de sublevatione pauper.
(o) Vopisc. in Saturnino.
(p) Sup. Embl. 41.
(q) Garcil. hist. Incar. part. 2.
(r) Navarrete. in disc. polit. cap. 9. ex pag. 67.
(s) Hom. Odyss. 1.
(t) Beccanus in Hermath. lib. 1. ad fin.

(u) Delrius lib. 4. disquis. Mag. cap. 3. q. 6.
(x) Cordub. in Didascal. lib. 1. cap. 50.
(y) Quignon. in syntagm. de los Gitanos.
(z) Camer. 1. tom. cap. 17.
(a) Mager. de advoc. arm. cap. 8. n. 77. & seqq.
(b) Besold. in Thesaur. pract. verb. Zigein. pag. 962.
(c) Surius ann. Christ. 1572. fol. 844.
(d) Petr. Greg. lib. 34. syntagm. cap. 16. n. ult.
(e) Covarr. in Thesaur. ling. Hispan. verb. Gitanos, fol. 438.
(f) Cervant. in Novel. de la Gitanilla.
(g) Sup. Embl. 31.
(h) Horat. 2. carmin. ode 16.
(i) Catull. ad Lesbiam.

& beatas perdidit urbes, utpotè quæ, secundum Hieronymi Ossorii (k) doctrinam, non aliter gubernari conservarique possunt, quàm si quilibet ex ipsarum accolis suum gradum servet, suumque officium faciat.

38 In quo Cicero (l) naturalem illam hominum societatem consistere dixit, quæ efficit, & exigit: *Ut alii aliis prodesset debeamus, & communis utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus.* Quod *Cyrus Theodoricus* (m) his versibus extulit,

*Homines sociantur per me artibus suis;
Nam querit ecce fullo calcearum,
Equitum Magistro gratus est fræni faber.
Agrum colenti, mechanicus conjungitur,
Breviter habeto, qualibet ars cuilibet.
Piscator omnis indiget re rustica,
Egret piscatore, riva qui colit;
Ille panes dans, ipse pisces accipit;
Sic omnis opifex querit alterius opem,
Hic denique modus civitates promovet.*

39 Et quia hoc studium à pluribus Regibus, & Regnis spretum fuit, se, & simul ipsa, pessum dedere, hostileque jugum pati ceperunt, qui antè dum laboribus domesticis, & militaribus assueverant, potentes quoslibet alios hostes & duces vincere, vincere, & in triumphum agere soliti erant, ut jam supra (n), adductis Sybaritarum, Romanorum, Carthaginensium sub Anibale post Cannensem victoriam, Nostrorumque, heu, Hispanorum, & aliarum nationum exemplis fuscè monstravi, & prudenter docuit *Scipio Africanus*, dum apud *Livium* (o) ita *Masinissam* compellat: *Non est crede mihi tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum ad circumfusus undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenavit, ac domuit, multo majus decus, majoremque victoriam sibi peperit, quàm nos Sybbace victo habemus.* Cui mirè consonat *Honorii* ad filium monitum, apud *Claudianum* (p), quod sic habet:

*Multis dammosa fuere
Gaudia; dispersi pereunt, somnoque soluti;
Non tibi Regificis tentoria larga redudent
Deliciis, necè imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat, &c.*

40 Indequè omnes Militares & Politici Scriptores, & si bella non urgeant, bellicis tamen laboribus ludicis agonialibus, exercendos esse populos docent, ne ignavia & luxurie torpescant, & cum opus fuerit, nihil præter molliem, & libidines detegant. Nam ut præclare inquit *Vegetius* (q): *Romanis ad reliquas alias Nationes subigendas, adversus omnia profuit, Tyronem solertem eligere, jus, ut ita dixerim, armorum docere, disciplinam quotidiano exercitio roborare; quæcumque eventire in acie, atque in præliis possent, omnia in campestri meditatione prænoscere, severè in desides vindicare. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit. Etenim in certaminè bellorum exercitata paucitas, ad victoriam promptior est; rudis, & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.*

41 Re enim vera, ut *D. Heronymus* (r) inquit: *Corpus assuetum tunicæ, lorice onus non sustinet, caput opertum linteo, galeam recusat, mollem otio manum, durus exasperat capulus.* Et ante eum *Seneca* (s): *Cujus pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, hunc levis aura non sine periculo stringit.* Ac proinde, ut idem subdit *Vegetius* (t) *Aptiorem armis judicabant rusticam plebem, quæ sub Divo, & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est. Nescio enim, quomodo minus timet mortem, qui minus deliciarum novit in vita.*

42 *Cassiodorus* (u) quoque, non inlegantius, ejusdem præviæ in militibus disciplinæ, & exercitationis necessitatem agnoscit, dum inquit: *Ars enim bellandi si non præluditur, cum ne-*

Non 2

ces-

(k) Ossor. lib. 1. de Reg. inst.
(l) Cicer. in Læl. & 1. de offic.
(m) Cyr. Theodor. in amicit. exulan.
(n) Sup. Embl. 35.
(o) Livius lib. 10. decal. 3.
(p) Claud. in 4. Cons. Honor.

(q) Veget. de re milit. lib. 1. cap. 1.
(r) D. Hier. epist. 1.
(s) Senec. de div. provid. cap. 6.
(t) Idem Veget. dist. lib. 1. cap. 3.
(u) Cassiod. lib. 1. epist. 40.

cessaria fuerit non habetur. Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subito ad arma non eripit, nisi qui se ad ea idoneos, praemissa exercitatione confidunt, &c. Primordia cuncta pavida sunt: & aliter timiditas non tollitur, nisi cum rebus necessariis novitas abrogatur.

43 Curent igitur Principes prudentes, ut bene monet Amibal Scotus (x), Taciti verbis inhærens, primum n ipsi, otio, vilissimo domino se mancipent: deinde ne Ministri, & illi, quorum strenua ope præcipue utuntur, illud arripiant, & denique, ut in subditos omnes similiis cura perveniat, siquæ Regnum cum dedecore amittent, vel imminuent, & variis periculis vitam exponent, quàm sit certum experientur, quod dixit ille (y), qui dixit.

Præclara vendunt bona laboribus Dii,
Numquam inertem laus sequitur virum.

44 Unde Fisci illi Romani, tanti laborem faciebant, ut de iis Latinus Pacatus (z) ita scribere potuerit: Sicagrestes Curii, sic veteres Coruncani, sic nomina reverenda, Fabricii; cum inducitur bella suspuebant, inter aratra vivebant, & ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur. Inde est quod accepimus datos serenibus fasces, & nssas cum Curulibus suis per rura palmatas, quod agricolas Consulares, pastores que Trabeatos, & Dictatores inter armenta vestitos, &c.

45 Idemque ipsum magis adhuc ostendere voluerunt, dum Agenoriam, quæ ad agendum excitaret, Stimulum, quæ ad industriam ultro stimularet: Strenuam, quæ faceret strenuum, intra urbem, tamquam Deas, coluerunt, & sacra illis publica constituerunt. Quietem verò Deam, etsi Pacis sociam, & Felicitas agnoscerent, publicè suscipere noluerunt, sed ei extra urbem portamque Collinam, & via Labricana, ut ex Livio (a), D. Augustinus (b), & alii (c) memorant, fanum ædificaverunt, siquæ dicantur, in benè constituta civitate, nullum omnino otium, nullam, etiam alioqui optabilem, quietem, coli permissivè debere; sed egregios, atque strenuos cives, ex aliis laboribus ad alios assuescendos, disponendosque esse, ut Appius Claudius, Valerio Maximo (d) referente, apertè docebat crebrò dicere solitus: Negotium populo Romano, melius, quàm otium committi. Non quòd ignorret, quàm jucundus tranquillitatis status esset, sed quod animadverteret, præpotentia Imperia citatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimiam quietem in desidiam resolvi. Et sanè negotium nomine horridum, civitatis nostræ mores in suo statu continuit, blandæ appellationis quædam plurimis vitiiis respersit.

46 De Sectario autem studiosorum otio, & quod hoc reprehensionem non mereatur, cum mentem & ingnium potius acuat, quàm hebetet, sub cotis Emblemate non malè Noster D. Sebastian. Covarrvias hoc adjecto carmine docuit (e):


Aquesta hambre de saber rabiosa
(Tan natural al hombre) nos incita
A no pasar en torpe vida ociosa
El tiempo, cuya estima es una cosa,
I la especulacion es infinita
Que à las potencias naturales quita,
I suspende sus actos, quando calma
En la contemplacion traspuesta el alma.



EM

(x) Scot. in Tit. lib. 2. hist.
(y) Padiones od. 6.
(z) Pacat. in Paneg. pag. 4.
(a) Livius lib. 4.
(b) D. Augus. de civit. Dei lib. 4. cap. 16.
(c) Rosin. antiq. Rom. lib. 2. cap. 18. pag. 180. Camer. 3. rom. cap. 50. pag. 178.
(d) Valer. Moxim. lib. 7. tit. 1.
(e) Covarr. Embl. 19. cent. 2.

EMBLEMA LXXVIII.
SIC PRÆMIIS OMNIA FLORENT.



Fons salit irriguus. Crescunt flos, semina, plantæ,
Vernantes properat prodiga limpha dies.
Præmia fecundent Animos, reverentia recti
Orbi aderit: Virtus semina grata dabit.

COMMENTARIUS.

1 Non minus scitum, quàm tritum est illud Aristotelis (a) monitum, quod duobus veluti polis, sive cardinibus cujuslibet benè constituta Republica gubernationem moveri, civesque bonos effici, & in officio contineri docuit, penis videlicet adversus eos qui malè agerent, & præmiis, rectè se gerentibus, statutis. Cui adridens Antisthenes (b), his sublati, omnem Republicanam pessum iuram dicebat; & Ulpianus (c), præcipuum officium Legislatoris in eo consistere, ut bonos, non solum metu pœnarum, sed etiam præmiorum exhortatione efficere cupiat. Quippè quia juxta illud vulgatum Horatii (d),

Oderunt peccare mali formidine pœne,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

2 Democritus quoque à Plinio (e) laudatus, duos tantum esse Deos constituebat Panam, & Beneficium, quæ etiam pro Diis apud Assyrios colebantur. Et Cicero (f) de suis Romanis agens, scriptum reliquit, Summum rectè factis Majores nostri præmium, plura peccatis pericula esse voluerunt; & alibi (g), nullam civitatem, nullum Imperium, nullam denique nationem potentem, ac diuturnam esse posse, quæ non æqualiter curet, ut à flagitiis retrahantur animi mortalium, & simul etiam ad virtutem, & præclara facinora, gloria, præmiis, & honoribus propositis, incitentur.

3 Quem locum, licet Ciceronem non laudet, egregiè prosequitur Natalis Comes (h), post Dionem Prusseum (i), qui longissimam de hoc argumento orationem scripsit, & aliis similibus adductis, Simancas (k), & ceteri Politici Scriptores (l) passim illustrent, & lex nostra (m) Partitæ his verbis adumbrat: E con estas dos cosas se endereza el mundo, haciendo bien à los que bien facen, é dando pena, é escarmiento à los que lo merecen, &c.

Idem-

(a) Aristol. 1. Ethic. cap. 5.
(b) Antisth. apud Laert. lib. 6.
(c) Ulpian. in 1. 1. D. de just. & jur.
(d) Horat. lib. 1. & 16.
(e) Plin. lib. 2. cap. 7.
(f) Cicero. pro Cluent.
(g) Idem lib. 3. de nat. Deor.
(h) Natal. Com. in Myster. lib. 7. in prin.
(i) Dion. Prus. orat. 3. per tot.
(k) Simanc. de Rep. lib. 9. cap. 20. & 22.
(l) Bobad. in Polit. lib. 1. cap. 5. num. 3. & lib. 4. cap. 2. num. 66. Saaved. Empr. 23. & plures alii apud Me. 2. tom. lib. 2. cap. 4. ex num. 57. cap. 30. num. 30. & 76. & lib. 3. cap. 19. num. 39.
(m) L. 3. tit. 1. p. 1. ad fin.